



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1595. usque ad annum 1600

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1773

VD18 90118677

§. 90. Marcus Antonius secundo-genitus filius captus, atque extremo supplicio affectus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67263)

Sæcul. XVI. **A.C. 1599.** **cus Antonius secundo-genitus** Marchio-
nis filius Lucam fratrem suum primo-
 genitum trucidare statuit, hancque in-
 rem potentissimum venenum præparari
 curavit, utque certum virtutis ejus ex-
 perimentum caperet, illud prius suo an-
 rigæ propinavit, ac demum etiam vi-
 unquam audita impietate Lucæ fratri
 suo præbuit, qui etiam paucas post ho-
 ras fatis functus est.

§. XC:

*Marcus Antonius secundo genitus filius
 captus, atque extremo supplicio
 affectus.*

Attamen tam inopina hujus Marchio-
 nis mors, nec non ipsa Medicorum
 suspicio, ac tandem haud obscura pro-
 pinati veneni indicia primo clam mur-
 murandi, ac demum palam Marcum
 Antonium veluti fratricidii insimulan-
 di ansam præbebant: rumore autem ad
 ipsos etiam Purpuratos delato Ascanius
 Cardinalis Marcum Antonium ad se ac-
 cersitum his verbis interpellabat: „haud
 „temeraria fratricidii suspicio in te ca-
 „dit, notum autem tibi est, summum
 „Pontificem esse implacabilem ejusmo-
 „di scelerum vindicem: si ergo reum te re-
 „darguit conscientia, celeri fuga salutis
 „tuæ prospicias velim“. Verum hic Ju-
 venis interposita etiam juramenti Reli-
 gione

Sæcul. XVI.
A.C. 1599.

gione facinus pernegabat : haud multo tamen post tempore cum publice Romæ in monte Jordanis pila luderet , in supremum licitorum Præfectum , alias *Barigellum* dictum , qui tum inter ceteros spectatores aderat , sæpius oculos convertibat , tamque defixis , perturbatisque oculis illum intuebatur , ut potius huic justitiæ Ministro , quam pilæ juxta lusus legem repercutiendæ intentus videretur : tandem vero timorem , quem rea conscientia incusserat , dissimulare , ac reprimere sollicitus , non sine adstantium stupore *Barigellum* interrogabat , quo ex negotio huc venisset : ille autem respondebat , quod unice ipsius dexteritatem admiraturus accessisset : si vero ejus præsentia ipsi moleste accideret , mox recedere paratus foret , prout etiam confestim abiit , inde tamen aucta fratricidii suspicione *Barigellus* Gubernatorem adiens ex indiciis haud obscuris *Marcum Antonium* mortis tam Matri , quam fratri illatæ saltem conscium fuisse asseverabat , quocirca ad Gubernatoris mandatum mox eundem e domo sua egredientem ad carceres novos abduxit , ubi fori criminalis *Judex Marchionem* admonuit , ut tormentorum crudelitatem ultronea confessione declinare vellet , cum autem se innocentem contestaretur , ac *Judex* digitum duntaxat

Sæcul. XVI.
A.C. 1599.

xat ad equuleum extenderet, mox Marchionem ad rotæ conspectum animo concidens fratricidium a se commissum ultro fatebatur, cunctis reæ conscientie vim nec non inpercrutabilem divinæ justitiæ dispositionem vel maxime eo ex capite stupefcentibus, quod tam rare fortitudinis Juvenis, qui ad ostentandum virium suarum robur quandoque se a familiaribus suis equleo extendi permiserat, nunc ad unicum hujus tormenti aspectum conterritus non sine propria vitæ, honorisque sui dispendio crimen suum fateretur: discussa igitur, ac conscripta ipsius confessione tota rei series ad summum Pontificem referebatur, qui etiam Marchionem capitali poena dignum pronuntiabat, qua sententia ad reum delata ipse quantocius in genua sua procumbens exclamabat: „non ego „ex libero meo arbitrio delictum meum „confessus sum, sed labia, linquamque „meam vindicis, Omnipotentisque Dei „voluntas aperuit: peccavi, fateor, hanc „que poenam, magisque atrocem pro „meritis grates Deo maximas rependo, „quod ad salvandam animam, quam „per Christi Domini Passionem mundari „ri spero, sufficiens temporis spatium „nactus sim“. His dictis e terra surgens arrepto calamo prolixas omnino epistolas ad Columnam Cardinalem, atque ad

Sæcul. XVI.
A.C. 1599.

ad ambos residuos suos fratres perscripsit, demum vero die decima sexta Junii e carcere productus inter fervidissimas preces, uberesque pœnitentiæ lacrimas ferale pegma conscendit, ubi se a carnifice tangi haud sustinens pileum, ac colare sibi a Sodalibus abstrahi voluit, caputque suum ad pallum inclinans feralem ictum accepit.

§. XCI.

Philippi Mornæi liber a Parisensi Facultate Theologica proscriptus.

Eodem adhuc Mense Facultas Theologica Parisiis Philippi Plesii Mornæi Salmurensis Gubernatoris librum, cui titulus *Historia Papatus*, censura notabat. Hic idem Author Regi quidem acceptissimus, nec non tranquillitatis in Regno promovendæ studiosissimus erat, Calvinianæ tamen sectæ, quam profitebatur, socios, eorumque pertinaciam tam ore, quam calamo, auctoritateque sua potenter tuebatur, perversoque hoc studio animatus, ac præcipue Catharinam Henrici IV. Regis sororem in sua hæresi confirmandi ardore accensus pestiferum plane librum de Missæ Sacrificio, Romano Pontifice, aliisque christianæ Religionis articulis consarcinabat, cui sequentem præfixit titulum: *De Institutione, ac veteris Ecclesiæ usu, doctrina*

*Argentri
Conclus.
Facult. Paris tom. 2.
p. 535.
Guil. de
Pug. merveilles des fau-
steter du
Mr. Mornay.*